DE
VI, QUAM OPIFICIA IN SANITATEM EXERCENT.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVII. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALEXANDER PLATE
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

F. KIPP, MED. ET CHIR. DR.
J. BRACHT, MED. ET CHIR. DR.
J. BRENTGES, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRUO

CARISSIMO MAXIMEQUE DE SE MERITO

PETR. DIT. PLATE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum veterum more et usu constitutum sit, ut, quicunque ad dignitatem aliquam academicam pervenire gestiverint, dissertationem de re quadam medica ordini exhiberent, hoc equidem suscepi opusculum, quod eo majore ab eruditis viris facilitate et indulgentia accipiatur velim, quum mihi, in libris scribendis haud versato, experientia et eae rerum cognitiones desint necessariae, quae ad opus scribendum requiruntur, quod dignum sit, ut ty-

pis excudatur. Quam ob rem haec mea qualiscunque opella nonnisi pro collectione eorum, quae hic vel illic legi vel audivi, habenda erit. Hoc thema, ut mihi eligerem, hac in caussa fuit, quod in patria multos homines ob artem suam exercendam gravissimis morbis affectos vidi. Usus sum auctoribus, quoscunque de illo themate scripsisse cognitum habui, praecipue clarissimo Ramazzinio, cujus magna sunt in hac re merita.

Opificia, tam utilia et necessaria hominibus, summa commoda praebentia, iis quidem qui exercent, saepissime nocent. Ex omnibus morbis, qui valetudinem sanitatemque nostram turbant et subvertunt, multi ex exercitatione artificii qualiscumque pendent. Quum multi opifices contactui et vi nocentium venenatarum substantiarum expositi, multi vero usu rerum vitae necessariarum saepissime carere ob suam artem exercendam coacti sunt, tum assidua positio situsque corporis cum plurimis artificiis necessario conjunctus, multos certe morbos efficit. Ut in aliis rebus, in his quoque artificiis varietas et in ratione vivendi et in vario situ et positione corporis ad conservandam integritatem sanitatis prorsus necessaria esse videtur. Natura ipsa in omnibus rebus ad salutem hominum constitutis, maximam varie-

tatem observat. Aër, quem spirando haurimus, modo siccus, modo humoribus oneratus est, et aër idem, cujus per longioris temporis spatium nulla est mutatio, varios morbos gignit. Aër, ut exemplo quodam utar, siccus et frigidus, hominum corpora inflammationibus contrahendis accommodata reddit. Aliis opificibus in cubiculis vita peragenda et aër in domibus inclusus semper magno sane detrimento sanitatis hauriendus est, alii oneribus et elevandis et transportandis sanitati nocent. In hoc libello aliquid de vi, quam exercent opificia in sanitatem disputabo et de morbis, quorum causae illa sunt, sed de iis opificibus, qui in arte exercenda contactui et vi obnoxiarum et venenatarum rerum et vaporibus venenatis expositi sunt, ut de fabris metallariis etc. nihil exponam, quia omnis fere hujus rei experientia mihi deest.

Cap. I.

DE MORBIS OPIFICUM, QUI CORPORIS MOTU CARENT.

1. Opifices, qui assidue sedent.

Quaeque positio corporis, quae diutius

tenetur, ei indolem, qua facilius morbis afficiatur, injicit. Praecipue noxia est continua sessio, magnasque turbationes efficit. Motus omnium fere musculorum in his artibus deest, quare hae partes rigore et robore normali carere et laxari cogerentur. Affluxus sanguinis, qui in iis partibus circumfluat necesse est, minuitur, deinde sanguis ad alia potius organa se vertit, unde plethora et congestiones gignuntur. Sanguini venoso, quominus refluat, in partibus inferioribus ob compressum abdomen magnum impedimentum obstat, tum exoritur accumulatio sanguinis in cavo abdominis, ita ut variae turbationes digestionis et assimilationis sequantur. Omnes fere partes, quae his muneribus funguntur, ut hepar et lien aegrotant, et congestionibus et induratione afficiuntur. Eo morbo, quem Haemorrhoidem vocamus, illi praecipue homines corripiuntur. Intestina et viscera non solum abdominis, sed etiam pectoris sensim sensimque valetudinem contrahunt, extensio pectoris, quae est in inspirationibus valde impedita est, pars pulmonum deinde respiratione fungi non amplius valet et sedes

variorum morborum fit, quare ejusmodi homines leves labores perferre non possunt, et mature asthmate et anhelatione aegrotant.

Sartores assidue sedent, corpore prono, dorsoque curvato, abdomen est compressum. Quo situ viscera pectoris et abdominis, quominus officia agant, impediuntur, digestione turbata, obstructiones, catarrhus et variae affectiones pulmonum oriuntur. In cubiculo sartoribus perpetuo versandum atque aër inclusus corruptusque est spirando hauriendus. Saepissime morbis pulmonum laborant; phthisis, haemoptoë, hydrothorax et morbi cordis praematuram mortem adducunt, teste Stollio (1). Viscera abdominis comprimuntur, inde plethora in pectore gignitur, ita contendit Stollius. Sartor gracili et tenui habitu est, ejus partes inferiores emarcescunt, quia omni motu carent, claudicatione et coxae doloribus laborat. Omnes fere sartores laborant scabie, quem morbum partim e lano, partim e vestibus contagio affectis, accipiunt. Etiam oculi laborant malis et praemature myopes fiunt.

---

(1) Stoll. Med. pract. übersetzt von Mahon.

Cadet Gassincourt dicit, sartores valde libidinosos esse, et furta ludosque amare.

Sutores sunt curvi, gibbosi, genibus inflexis, plerique continua flexione depressi. Habent, utpote qui brachii musculos vehementer intendant, brachia crassa et thoracis musculos robustos. Memoratu sane dignum est, fere semper processum ensiformem sterni iis impressum esse ob pressionem tentipellii contra regionem epigastricam, inde gignuntur indurationes pylori et ventriculi et multa mala hepatis; itaque sutores habent flavum colorem faciei, alvo adstricta exercentur et sunt melancholici. Persaepe laborant dilatatione cordis et nimis angusta aorta. Morgagni (1), qui ejus rei exempla commemorat, ita dicit: sutores enim non modo, ut caeteri cellularii opifices magnos illos inferiores arteriae ramos non uno in loco ad angulos flectunt, flexosque retinent, sed insuper, quo magis retrorsum se curvant, eo magis ventris, saepe in eorum plerisque cibo et potione pleni, et per haec diaphragma quoque comprimunt,

(1) Morgagni de Sed. et causis morborum lib. II. Epist. XVIII.

ut minus expeditus sit per ventrem ac per thoracem sanguinis motus, arteriarum ramis, truncoque ipso constrictis et magis in augustum redactis. Cadet Gassincourt (1) commemorat, scabie persaepe afflictos sutores, et rarissime annum XLV. superare, quod autem nimio augeri videtur. Corii foetor efficit, ut asthmate laborent.

Textores et lanifici premunt pecten adversus regionem epigastricam, pectus in hoc opificio valde conquassatum et pulmones, quo minus respirationis munere fungantur, impediuntur. Facies est pallida et livida, corpus debile, asthmate et febribus quartanis, scorbuto et rheumatismo laborant.

Foeminae facientes opera acu et quae artem acu pingendi exercent, et quae limbos reticulatos fabricant, malis pulmonum, tuberculis et phthisi laborant. Praeterea oculi praemature aegrotant ob tenues res, quas fabricant.

Scribae, liberarii, mercatores, quod ad morbos attinet, huic hominum generi sunt simillimi.

---

(1) Mémoires de la sóciété médicale D'Emulation. Band 8. Th. I.

2. Opifices, qui assidue stant.

Permulta opificia, artesque ut, qui exercent, diu stent, postulant. Etsi haec opificia multo minus sanitati nocent, quam antea commemorata, tamen multorum malorum causae sunt. Diu enim stando, quominus redeat sanguis venosus in inferioribus partibus maxime impeditur, cujus rei causae sunt et inopia motus et positio pendens pedum. Venae tumescunt, varices inde in pedibus et ulcera varicosa et venosa facillime oriuntur. Omnes fere ejusmodi artifices hoc malo laborant. Ut quidem in pedibus, ita etiam in scroto varices facillime gignuntur, ob dependentes testiculos, et varicocele oritur. Praeterea gignuntur viscerum varia mala, non raro dolor ventriculi dependentis, et laxatio ligamentorum ventriculi et intestinorum. Affectiones renum et vesicae, mictus cruentus et multa alia mala istos homines corripiunt, cujus rei testis est Ramazzini. Sine dubio omnia haec mala praecipue in diu stando condita sunt.

Typographi assidue fere stant, itaque laborant varicibus et ulceribus pedum. Prae-

terea a versando in cubiculo multis malis pulmonum expositi sunt. Cadet Gassincourt dicit, eos saepissime morbis pulmonum et cordis laborare, et raro annum XLV. superare. Ob oculos assidue convertendos in typos myopes fiunt.

Lapicidae magnum detrimentum e pulvillis lapidis pulmonibus illabentibus percipiunt. Saepissime pulmones secti lapillis et calculis impleti inveniuntur, quod Wedelius et Morgagni confirmant. Oculi quoque laeduntur illabente pulvere calcario, itaque saepissime inflammationes oculi incurrunt. Vaporibus calcis admodum expositi sunt et phthisi et inflammatione pulmonum laborant. Praecipue qui saxa arenaria caedunt his malis laborant, et praemature phthisi moriuntur (1). Qui in lapicidinis laborant, humoribus et aëri corrupto expositi sunt, habent inde cachexiam et hydropem. In ora Dalecarlorum, ubi cotes caeduntur majores, raro vir umquam attigit annum XL.; plerique enim phthisi infra hos annos moriuntur. auctoritate Scraggii (2).

---

(1) Le Blank Oeuvres chirurgicales.

(2) Linnée, amoenitates academicae Tom. VII.

Gypsarii et calcarii fere iisdem morbis expositi sunt. Memoratu dignum est, hos opifices rarissime scabie laborare.

Ferrarii sunt robusti et firmi. Ad quam valetudinem firmandam sine dubio ferrum, metallum salubre, iis fabris plurimum confert. Attamen vero splendore et ignis et ferri candentis oculi facillime aegrotant, etiam particulae ferri calidi saepe ad oculos volant, magnamque eorum irritationem producunt. Magno strepitu et ictibus malli facile surdastri evadere solent. Oneribus elevandis et transportandis rupturae vasorum et herniis obnoxii sunt. Magno calore facile sudatores evadunt et rheumatismo laborant.

Politores a pulvere gravioribus morbis afficiuntur, oculi et pulmones eorum aegrotant, et praemature phthisi moriuntur (1).

Pistores pulmonibus corripiunt pulverem farinae volatilis et tussis, raucedo et asthma eos saepissime aggreditur. Oculi etiam farina volatili laeduntur, et lippi redduntur. Sunt pallidi et macilenti et raro aetatem provectam attingunt. Morbis gravidis et

(1) James Clarck über die Schwindsucht, übersetzt von Dr. Stannius. 1. Heft.

contagiosis facile afficiuntur, ut Massiliae anno MDCCXX. peste omnes pistores mortui sunt. Commemorandum est, pistores perlongas et magnas manus habere, ex quibus facillime cognosci possint. Praeterea saepissime proprio exanthemate afficiuntur, quod Psoriasis pistoria dicitur, cujus dorsum manus sedes esse solet (1). Cadet Gassincourt pistores litigiosos et magno libidine ulciscendi imbutos esse.

Molitores quoque a farina volatili male afficiuntur. A rotarum sono surdastri et oneribus elevandis et transportandis facile curvi et herniosi redduntur. Habitant in domibus humidis et rheumatismum et hydropem inde facile accipiunt. Memoratu dignum esse videtur, molitores phthiriasi expositos esse (2). Cribratorii et farinam excutentes a pulvere lippi et asthmate, phthisi et hydrope praemature morti adducuntur, teste Ramazzinio.

Amylopoei ob foetorem ex amylo exsurgentem cephalalgia, tussi et dyspnoea laborant.

---

(1) Thomas Batemann über Hautkrankheiten.

(2) Bernhard Ramazzini de morbis artificum, übersetzt von Dr. Schlegel.

Carbonarii plerique homines sani sunt et robusti, quia libero fruuntur coelo, quare vapores eos morbis raro afficiunt.

Pectinatores vel carminatores gravissimis morbis afficiuntur. Pulvis, qui e lano vel cannabi avolat, simulac per os et nares in pulmones intrat, tussim et inflammationem producit, cujus exitus est praematura mors. Pallidi et miserrimi sunt, asthmate et phthisi solent laborare. Morgagni permultos eorum pulmones sectos reperit degeneratissimos. Quod in ista vivendi ratione, qua vapor cannabis maxime noxius surgit, mirum in modum flectatur, non est, quod mireris.

Fabri lignarii. Haec ars nullius fere morbi causa est, qui exercent, robusti esse solent et sani.

Coqui calori et vaporibus expositi sunt, itaque congestionibus et cephalalgia saepissime laborant, multi pereunt asphyxia. Quia assidue stare sua arte cogantur, iis malis, quae supra exposui, valde laborant, praeterea saepissime exanthemate afficiuntur.

Lithantracis fossores, quia a teneris in arctissima caedere lithantracis strata consuescunt, toto fiunt corpore in latus alterum per flexionem continuam distorti.

Praeterea assidue stando his malis laborant: famuli, ministri et janitores.

Cap. II.
OPIFICES, QUI MAGNOS LABORES SUSTINERE DEBENT.

Labor corpus sanitatemque firmat, et homines laborosi, si cauti et moderati sunt firmi robustique fiunt. Sed raro cautionem necessariam adhibent, et immoderatis laboribus gravissimos morbos sibi comparant. Itaque ejusmodi homines plerique praematura morte obire solent. Inopes plerique sunt et cupiditate pecuniae nimia adducti labores suscipiunt, qui vires valde superent. Praecipue herniis, fractis ossibus, ruptis musculis vasisque, aneurysmate et nimio rigore laborant.

Bajuli et onerarii, elevandis et transportandis oneribus sibi hernias et fracturas conciliant. Praecipue his malis expositi sunt, qui onera elevant et dorso vel capite portant, hi saepe aneurysma vasorum, cujus rei exempla commemorat Corvisart (1) et hernias sibi comparant, ligamenta, quae

---

(1) Corvisart. Essai sur les maladies du coeur,

vertebris interjacent densa fiunt. Vidi virum in clinico chirurgico Bonnensi, qui arcis ponderosis transportandis curvatus sibi spondylarthrocacen et coxarthrocacen contraxerat et dolorosum et miserrimum vitae finem. Qui onera dorso portant, omnes fere curvi fiunt dilatatione et hypertrophia cordis et vasorum saepissime vexati. Praeterea varicibus pedis laborant.

Saltatores et funambali saepe luxatione pedis et ruptura musculorum et tendinum pedis aegrotant. Etiam morbi cordis varii in iis saepe inveniuntur. Nimio nisu sudatores fiunt et facillime incauti sibi inflammationem pulmonum et phthisin contrahunt.

Laniones robusti et sani sunt, et rubrum colorem faciei habent, cujus rei sine dubio halitus sanguinis et carnis animalium necatorum causa est. Neque ullius morbi fontem esse hoc opificium contenderim, nisi pustulae malignae, cui contagio laniones in aegrotis bestiis mactandis et secandis valde expositi sunt. Rarissime laniones morbis pulmonum et phthisi afficiuntur, quod etiam halitu sanguinis bestiarum contineri videtur. Elevandis et portandis oneribus saepe hernias et rupturas vasorum sibi

conciliant. Pleni sanguinis et pingues evadunt. Cadet Gassincourt observavit, laniones minime violentos et crudeles homines esse. Sed non possum, quin hoc opificium, quod summopere sanitatem adjuvet, laudem.

Coctores cerevisiae propter vapores spirituosos cephalalgia et plethora laborant. Sunt pingues et pleni sanguinis, saepe etiam ebriosi, nec provectam aetatem adipisci solent.

Oenopoei evadunt etiam ex anhelitu spirituoso cellulae veternosi et vertiginosi, teste Scraggio (1); idem auctor commemorat, vindemitores operam vindemiae navantes vel centies quotidie mingere urinam tenuem atque hac re reddi tristes et macilentos.

Equisores et veredarii valde herniis expositi sunt. Concussione genitalium libidinosi et concussione magna intestinorum variis malis obnoxii sunt. Corvisartius se rupturas valvularum cordis in his invenisse confirmat. Morgagni (2) de iis ita dicit: in nullo fortasse hominum genere saepe arte-

---

(1) Ammoenitates academicae v. Linné. Bd. VII.

(2) Morgagni de sed. et caus. morborum epist. XVII.

riae magnae aneurysmata conspexi, quam in cisiariis et veredariis, aliisque equo pene assidue insidentibus. Nec mirum, nam vel ceteris quibus se exponunt, casus, nisus, aëris injuriis omissis, nimia ipsa concussio et succussatio hinc motnm sanguinis concitando et parietes arteriae urgendo, inde vero hos, quippe concussione, in occursum concitari sanguis ictuum subinde compellendo, ipsorum denique structuram parietum laxet ac vim infringat necesse est. Praeterea saepissime tumores scroti et ani et bubones habent. Inflammatione renum et mictu cruento facile laborant, cujus rei exemplum commemorat van Swieten (1).

Cursores fere omnibus, quibus equisores, morbis laborant. Herniosi saepe ex saltatione fiunt, sanguinis proruptione et inflammatione pulmonum et pleurae saepissime laborant. Ii saepe dolore lateris sinistri, liene tumido, anguntur, sunt macri et varicosi. Temporibus nostris raro cursores sunt, sed milites et nuntii huc referendi sunt.

Magna intentione vocis et diu clamando

---

(1) Comment. Boerhave. §. 994.

organa respiratoria valde irritantur, vasa in his partibus facile rumpuntur, unde haemorrhagia et phthisis adducuntur. Praecipue phthisi laryngeae homines, qui diu et nimio nisu loquuntur, expositi sunt. Qui in aperto concionantur multo magis his malis expositi sunt, quam in aedificibus.

Impetu sanguinis in cerebrum facile apoplexia oriri potest, et multa exempla oratorum apoplexia in oratione mortuorum a variis auctoribus exhibentur.

Concionatores, pronunciatores, praecones his malis subjecti sunt.

Qui ad tibiam et tubam canunt, facile e nimio nisu pulmonum haemorrhagiis et aneurysmate ob nimiam extensionem pulmonum, vasa sanguifera prementes, laborant. Morgagni (1) de tubicine sermonem facit, cujus in cadavere arcum arteriae aortae cum ramo, qui dicitur arteria innomminata, ita dilatatum vidit, ut arteriam asperam comprimeret.

Nimia intentio oculorum efficit denique hebetudinem et amaurosin, cui malo praeci-

---

(1) Morgagni de sed. et caus. morborum. epist. XVIII.

pue omnes obnoxii sunt, qui tenues res accurate inspicere debent et lampadibus utuntur, ut:

Pictores, opifices horologiorum et aurifices.

Cap. III.

OPIFICES, QUI SUB DIVO LABORANT.

Omnes, qui assidue sub divo laborant, maximamque partem vitae peragunt, tempestatibus, calori et frigori, humoribus etc. expositi sunt. Etsi paullatim corpus appulsum mutationum aëris minus sentire coepit, tamen hac ipsa vivendi ratione a morbis quibusdam non alienum est. Plerique hujus generis homines robusti, sani, moderati et contenti sunt et consenescunt; membra labore moderato firmant, et cibis simplicibus salubribusque utuntur. Rusticis, praecipue iis, quibus quotidie laborandum est et inopibus imminet scorbutus. Praeterea magno calore et ardore solis premuntur, sudore erumpente in mutato aëre rheumatismum, catarrhum sibi comparant. Inflammationem pulmonum et cerebri ob magnum calorem facillime obnoxii sunt, atque, quia inter laborandum solis radiis expositi sunt, variis oculorum vitiis laborant.

Melancholici et superstitiosi solitudine sunt. Vaporibus noxiis multarum plantarum, quas colant, ut lini et cannabis expositi sunt. Messores, qui in magno et difficili labore calore vehementer vexantur, saepissime inflammatione capitis laborant.

Hortulani objecti sunt per totam aetatem solis radiis, sudore et aestu exsiccantur rigidique fiunt. Doloribus colicis, rheumatismo et malo ischiadico saepe laborant. In labore fere assidue stant, perinde omnia mala oriuntur, quae talis corporis status parat. Qui in paludibus laborant, humoribus expositi sunt, et arthritidem et hydropem sibi contrahunt. Pastores et armentarii, ut qui aegrotas bestias attrectent, multis malis obnoxii sunt, praecipue pustulae malignae et scabiei. Sunt solidi et plerique ignavi ob minores labores, qui illo opificio, cui vacant, adhaerent.

Venatores inter tempestates et ardores artem suam exercent, quare saepissime rheumatismo et inflammatione pulmonum laborant. Qui in paludibus venantur, arthritide et hydrope facile afficiuntur. Si in saltibus versantur, facile herniosi fiunt.

Contegulatores et scandelarii, summo

ardori et calori in altitudine tectorum expositi sunt, quare saepissime inflammationes capitis et mala visus sibi contrahunt. Calore exsiccantur et macri evadunt.

Laterarii totum per diem summo nisu laborare debent, calori solis et tempestatibus expositi. Nutrimenta mala capiunt ob inopiam. Febribus malignis et putridis, cachexia et hydrope laborant.

Lignarii sunt robusti et sani. Si moderate laborant, ex suo opificio fere nullum capiunt damnum. Quia in silvis laborant et umbris gaudent, calori multo minus sunt expositi. Rheumatismo ob aërem saepius mutatum facile laborant. Aucupum etiam ars valetudini non vehementer nocet. Qui autem autumni tempore et inter tempestates artem exercent, ea re facile sibi febres intermittentes et rheumatismum parant. Commemorandi sunt hoc in loco opifices, qui praecipue humoribus expositi sunt, quamobrem multos morbos accipiunt. Exhalatio et sudor repelluntur, quocirca nimia copia fluidi superflui remaneat, praeterea magna copia fluidi per cutem et pulmones in corpus recipitur. Sanguis deinde valde serosus fit, quare hi homines luridi

sunt et pallidi. Hydrops eos persaepe aggreditur ob nimiam copiam fluidi et rheumatismus arthritisque ob impeditam exhalationem. Piscatores maximam partem vitae vel in aqua ipsa, vel in locis ei vicinis peragunt. Habitant plerique in vicinitate maris et aquarum, domicilia itaque tepida et humida. In arte sua exercenda piscator tempestatibus quam maxime expositus est, et in summo calore aestatis et frigore hiemis sub divo magnis laboribus omnibus fere caret levamentis et tutelis. Piscatores inopes solent esse et pauperes, nutrimentum iis est simplex et miserum, terra quam incolunt, est sterilis et saxosa. Mirandum itaque non est, piscatores multis gravioribus morbis obnoxios, rheumatismo, arthritidi et hydropi. Sunt pallidi et luridi.

Lotrices humoribus quam maxime cruciantur atque utpote quae labore morentur in aqua sibi colligunt hydropem et ulcera pedum. Menses turbantur, multaque mala deinde gignuntur. Praeterea multa patiuntur lixivio acri, quo utuntur in hac arte, eroditur cutis et scinditur. Vapore et odore lixivii asphyxia gigni potest, cujus rei exempla commemorat Ramazzini. Ab aqua

corrupta saepissime febribus intermittentibus laborant. Valde caveant, ne contagio ex linteis, pure aliisque materiis corruptis exorto, afficiantur. Sunt lotrices pallidae et languidae et libidinosae, teste Cadet Gassincourt. Rarissime ad senectutem veniunt.

Infectores vaporibus ex aheno infectivo erumpentibus cephalalgia, asthmate et phthisi laborant, operibus in aqua faciundis rheumatismum et hydropem sibi conflant et febres intermittentes.

Fullones eodem modo humoribus aquaque multa patiuntur, in domibus humidis habitant, laborant omnibus malis, quae hac ex re nascuntur. Morgagni dicit, eos multis malis pulmonum expositos esse. A diu stando accipiunt ulcera pedum et varices. Lano perpetuo inter manus versante pustulas scabiei similes accipiunt.

Nautae tempestatibus assidue expositi inflammatione et morbis acutis laborant. Convehuntur multi homines in arcta navi, aërem in impurum atque corruptum paullatim mutari e re ipsa conjici licet. Recentibus cibis deficientibus, scorbutus et febres putridae gignuntur, aqua corrupta diarrhoeis et dysenteriis inficiantur nautae, in regio-

VITA.

Natus sum, Alexander Plate die XIV. mensis Novembris anni hujus saeculi tredecimi in pago comitatus Marchiae in Guestphalia, qui dicitur Kierspe, patre Casp. Henr. Plate et matre Margaretha e gente Bremicker, quos parentes morte mihi ademptos quam maxime lugeo. Fidem evangelicam profiteor. Iis disciplinis, quibus puerilis aetas informari solet, imbutus, gymnasium Tremoniense per quinque annos frequentavi. Maturitatis testimonio munitus anno hujus saeculi trigesimo secundo ad litterarum universitatem Fridericam Guilelmam Rhenanam me contuli. In numerum civium academicorum a rectore magnifico Diesterweg receptus nomen dedi apud decanum facultatis spectatissimum Nasse.

Per annum hisce clarissimorum professorum ordinis philosophorum et medicorum praelectionibus interfui: de logica et psychologia Cel. Bobrick, de physice experi-

mentali Cel. Bischoff, de botanice Cel. Treviranus, de zoologia Cel. Goldfuss, de anatomia generali et speciali Cel. Mayer et Cel. Weber.

Ineunte mense Majo anno hujus saeculi trigesimo tertio ad litterarum universitatem Wurceburgensem me contuli, ibique a rectore magnifico Kiliani civium academicorum numero adscriptus his interfui praelectionibus: de physiologia, pathologia generali Cel. Varr, de chemia Cel. Pickel. Redii semestri elapso ad universitatem litterarum Bonnense, et per tria semestria his praelectionibus interfui: Cel. Mayer et Cel. Weber de anatomia, Cel. Albers de pathologia speciali, Cel. Naumann de therapia speciali, Cel. Wutzer de chirurgia, de doctrina fasciarum applicandarum et operationum chirurgicarum, nec non de morbis oculi. Praeterea clinicum et policlinicum chirurgicum et ophthalmologicum duce Cel. Wutzer adii.

Ineunte mense Octobri anni hujus saeculi trigesimi quinti hanc almam musarum sedem petii et academicis adscriptus sum Ill. Busch t. t. rectore magnifico, Ill. Mueller decano spectatissimo et praelectionibus et exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis et ophthalmiatricis virorum Ill. et Cel. Truestedt, Bartels, Wolff, Rust, Dieffenbach, Juengken, Busch interfui.

Quibus viris omnibus summopere vene-

randis pro summis de me meritis gratias ago quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso rite superatis spero fore ut, dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. In fractura usus membri violati non semper impeditus est.
2. Ulcus syphiliticum locale, nisi in partibus antea vulneratis, non exstat.
3. Divisio morborum in organicos et dynamicos rejicienda est.
4. Hypochondriasis et hysteria iidem morbi sunt.
5. Congestio sanguinis activa non exstat.